

sterium deserere poterit. Sed si discesserit, reducat; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. »

6. Eundem morem ad sæculum XII, perseverasse, cum ex epistola Bernardi superius laudata, tum ex epistola Siberti ad Rodulfum abbatem sancti Trudonis, qui hoc sæculo florebat, necnon ex ea quam idem abbas rescripsit, perspicuum est (*Decret. Gregorii IX, lib. III, tit. 31, cap. 11 et 12*). Ipsi etiam sæculo illo desinente obsequendum esse censuerunt Alexander III et Clemens III. Tandem horum successor Cælestinus, de puero quem ante discretionis annos pater suus fecerat habitum monachalem suscipere, interrogatus, respondet (*Ibid., c. 14*): « Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus; quia tum liberum sibi erit eum dimittere, et bona paterna, quæ sibi ex successione proveniunt, postulare. »

7. Ea tamen lex jam antea nonnullis in locis antiquari cœperat. Et Nicolao quidem I, ut supra audivimus, durior visa erat, et libertatem, quam huiusmodi status electio desiderat, lædere. Nec alia de causa Bonifacius Moguntinus antea Gregorium II sibi de illa consulendum duxerat. Postmodum vero Cluniacenses quoddam ei temperamentum videntur adhibuisse. Horum quippe consuetudines ante medium sæculum X describens S. Udalricus lib. III, c. 8, relata puerorum oblatione ejusque ritu, proxime subji-

cit: « Postea induitur (puer) cuculla, et de cætero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non amplius, vel usque ad QUINDECIM ANNOS. » Eundem morem innuere videtur et Clemens III, loco jam citato, ubi puellæ, ante discretionis annos a parentibus monasterio traditæ ad sæculum revertendi aditum penitus interdicens, istam interdicti hujus rationem adjicit: « Non enim videtur illa monasticæ professionis a se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam non nisi in ætate discretionis recipiunt quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, roboratur. » Tria quippe complectitur hæc ratio: 1<sup>o</sup> puellas benedici non consuevisse, nisi cum ad ætatem discretionis pervenissent; deinde, eis tunc benedictioni huiusmodi contradicendi potestatem fuisse; postremo, contradicentibus aditum ad sæculi regressum patuisse.

8. Porro ex omnibus testimoniis quæ colligere aut videre nobis hac de re licuit, nullum est, quod cum decreto nostro magis consentiat, quam quod ex consuetudinibus Cluniacensium protulimus. Quare illud ad exitum sæculi noni aut initium decimi referre licet. Aut etiam serius est differendum, si benedictio, quam Cluniacensium consuetudines ætate legitima præcipiunt, instituta sit, ut puer jam sui compos ratam faceret atque confirmaret parentum oblationem, non ut optio ei daretur repetendi sæculum.

## SANCTUS EUSEBIUS PAPA.

### § I. — Quando et quamdiu sederit.

Eusebius in pluribus pontificalis libri exemplaribus annos VI, mensem I, dies III, in aliis annos II, mensem I, dies XXV, sedisse dicitur. Eum Eusebius Cæsariensis episcopus in Chronico septem mensibus Ecclesiam administrasse scribit. De hoc papa istud tantum in Bucheriano catalogo habemus: « Eusebius menses IV, dies XVI, a XIV Kalendas Maias ad XVII Kalendas Septembris. » In quo sibi non cohæret iste catalogus, cum a XIV Kalendas Maias ad XVI Kalendas Septembres quatuor dumtaxat menses uno die minus interjiciantur. Ab eo etiam dissidet Bucherianus depositionis Romanorum pontificum catalogus, in quo legitur: « VI Kalendas Octobris Eusebii in Callisti. » Unde Eusebium Septembris XXVI die in Callisti cæmeterio depositum fuisse discimus. Et huic quidem indiculo martyrologia vetera et plures libri pontificalis codices suffragantur. Quare suspicio est

librarium, qui Bucherianum catalogum descripsit, pro « VI Kal. Octobris » per oscitantiam scripsisse « XVI Kal. Septembris, » addita videlicet de suo nota numerica X et « Septembris, » ut vicini mensis vocabulo, quod interdum accidit, « Octobris » loco substituto. Quocirca doctus Tillemontius laudato indiculo aliisque monumentis eidem suffragantibus standum existimans, ac menses quatuor et sexdecim dies, qui Bucheriano in catalogo Eusebii pontificatui adscribuntur, retinens, hunc papam X Maii die, anni 310, creatum, et eodem anno XXVI Septembris die ad vitam meliorem migrasse censet. Sane chronologi peritiores Eusebium non nisi anno 310 regimen Ecclesiæ suscepisse, atque ante Septembris exitum obliisse consentiunt. Unde hunc papam nullo Decembri mense vixisse conficitur. Quæ igitur habenda fides seu Bollandiano libri pontificalis codici, in quo tres ei ordinationes per mensem Decembrem attribuuntur, seu alii, in quibus unam eodem mense fecisse narratur?

§ II. — *In quo vulgatum de S. Eusebio carmen explicatur.*

EPIGRAMMA (1) DE S. EUSEBIO.

Heraclius (2) vult lapsos peccata dolere;  
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.  
Scinditur in partes populus gliscente furore,  
Sedet loca edes (*leg.* Seditio, cædes) bellum, discordia,  
[lites.

Exemplo (3) pariter pulsiferitate tyranni,  
Integra cum (4) rector servaret fœdera pacis,  
Pertulit exilium omnino sub iudice lætus  
Littore Trinacrio (5) mundum vitamque reliquit.

§ III. — *De epistolis ac decretis Eusebio papæ adscriptis.*

1. Tres epistolas aperte falsas, et ab Isidoro Mercatore Eusebii nomine confictas, cum cæteris in ejusdem officina cæsis, Deo dante, forte alibi edemus.

2. Præterea in editionibus Conciliorum quatuor circumferuntur decreta e variis canonum collectionibus, in quibus Eusebii nomine insigniuntur, collecta. Horum primum, « Desponsatam puellam parentibus non licet alii viro tradere; licet tamen monasterium sibi eligere, » quod Gratianus 27, quæst. 2, cap. 27, Ivo p. 6, c. 40; Burchardus lib. viii, cap. 4, Eusebio adscribunt, est Pœnitentialis Theodori Cantuariensis episcopi apud Petitem, tom. 1, p. 12, cap. 11, subinde lib. vi Capitularium, cap. 92, insertum his verbis: « Puellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro: tamen ad monasterium licet ire si voluerit. » Hæc autem postrema pars de potestate petendi monasterium, Justiniani imp. cum Cod. lib. 1,

(1) Istud epigramma, seu epitaphium, Baronius in novissima editione Antuerpiensi ad annum 357, num. 57, non sine cunctatione, ad Eusebium presbyterum, qui Liberio pontifice vitam finivit, refert. Illud potius ad Eusebium papam attinere iudicat Tillemontius, ejusque iudicio ultro subscribimus. Nec mirum est, dignum Marcelli successorem eam Ecclesiæ disciplinam, ob cuius defensionem sanctus ille decessor exilio mulctatus fuerat, acriter vindicasse, eaque de causa, eodem Christi apostata instante, ab eodem tyranno eandem pœnam subiisse. Quocirca etiam ipse qui superius de S. Marcello carmen adornavit Damasus, etiam istud concinnasse haud immerito censeatur.

(2) Hic nomen exprimi videtur apostata illius, quem in pace Christum negasse superius de S. Marcello carmen memorat. Nomen autem lapsorum ii tunc vulgo designabantur, qui idolorum se sacrificiis contaminarant, vel in quodvis incurrerant idololatriæ scelus, ut Cypriani opus simpliciter inscriptum de *Lapsis*, ejusque epistolæ passim probant.

(3) Hic memoratur exemplum Marcelli, qui pariter a Maxentio tyranno in exilium pulsus fuerat.

(4) Damaso rectoris nomine Romanum pontificem indicare quam familiare fuerit, Milesius Sarazanius in illud superioris epigrammatis, *Veridicus rector*, pluribus exemplis demonstrat. Ideo autem Eusebius integra pacis fœdera servare nunc velle dicitur, quia pacem lapsis concedere volebat, nisi iis conditionibus quibus eam dandam esse Cornelius cum toto orbe decreverat. Quocirca dicitur miseros peccata sua flere et per dignos pœnitentiæ fructus diluere docuisse; cum contra nollet Heraclius eos peccata dolere, sed statim prætermittis pœnitentiæ laboribus pacem recipere. Eadem loquendi ratione deflet epigramma de Marcello, quod *solvuntur fœdera pacis*.

(5) Videlicet relegatus in Siciliam, quæ Straboni et Plinio a tribus promontoriis, Peloro, Pachyro et Lilybæo, *Trinacria* dicta est. Ibi Eusebium vita functum, ad cœlos migrasse nostri epigrammatis conditor docet.

tit. 3, lege 56, tum Novella 125, cap. 39, necnon a Gregorio Indict. xv, epist. 20, ad Fortunat. et Cypr. approbatur.

3. Secundum, « Consulto omnium statuimus, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, eic., » apud Gratianum, de Consecratione dist. 1, cap. 46, Eusebii simul et Silvestri; apud Ivonem, par. vii, c. 40, et Burchardum, lib. iii, cap. 99, unius Eusebii; ac demum apud Anselmum, lib. ix, cap. 2, unius Silvestri præ se fert nomen. Ex gestis autem Silvestri libro Pontificali insertis, quæ Labbeus, tom. 1 Concil., pag. 1542, edidit, excerptum est.

4. Tertium, « Jejunia in Ecclesia a sacerdotibus constituta sine necessitate rationabili non solvantur, » ex Gratiano de Consecr. dist. 5, c. 17, descriptum, et ab Ivone, par. iv, cap. 49, necnon Burchardo, lib. xiii, cap. 17, velut « ex dictis Eusebii papæ, cap. 10, citatum, » in Capitulari 1, quod Steph. Baluzius Capitulis anni 813, pag. 517, subjecit, est capitulum 25.

5. Quartum, e codice quinque librorum, cap. 41, ita profertur: « Oportet episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum et bibendum non urgere. Removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta: non ludicra spectacula, non acroamatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigia. Adsint peregrini et pauperes et debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes, benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur viva vocis exhortatio: ut non tantum corporali cibo, immo verbi spiritalis alimento convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. » Idem quoque Ivo, par. xiii, c. 75, et Burchardus, lib. xiv, c. 4, velut « ex decretis Eusebii, cap. 10 » citant. Sapientissimum quidem est decretum, nihilque præcipit quod Eusebio videatur indignum: sed id quod prohibet, in illius ætatem minime arbitramur convenire. Tunc opus non erat, ut ab episcoporum mensa seu spectacula ludicra, seu scurrilium præstigia removerentur. Ecclesiis tum maxime præerant ii antistites, quorum modestiæ laudes etiam gentilis ac religionis nostræ adversarius scriptor negare non valuit, « quos » nimirum « tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, et supercilia humum spectantia perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut pueros commendabant et verecundos. » Ita porro Damasi ævo Ammianus Marcellinus, lib. xxvii, cap. 3, loquebatur. Prædicto autem decreto affine est quod anno 813 concilium Turonense III, can. 5 constituit: « Episcopum non oportere profusis incumbere conviviis: sed parco et moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententia dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.*, xxi, 34). Et quamdiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurrionibus resonent verba. » Et can. 6: « Peregrini et

pauperes convivæ sint episcoporum, cum quibus non A solum corporali, sed et spiritali reficiantur cibo. » Vide et concilium Remense II, eodem anno habitum, can. 17 et 18. Unde et tempus conjici potest quo decretum Eusebio attributum prodiit.

6. His adjici potuisset quintum, « Si evenerit fa-

mes, etc., » quod Ivo, par. IV, c. 50, proximo decreto subjicit, ac velut ex iisdem Eusebii decretis, cap. 2, laudat. Verum istud Burchardus, lib. XIII, cap. 18, refert ut « ex decretis Liberii papæ, c. 2 » Exscriptum est autem ex libro i Capitularium, cap. 118.

## SANCTUS MELCHIADES PAPA.

### § I. — Quando et quamdiu sederit.

1. Melchides Bucheriano in catalogo, in quo, ut in plerisque veteribus monumentis, *Miltiades* nuncupatur, Petri cathedram tenuisse dicitur « ex die VI Nonas Julias a consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii Volusiano et Anniano consulibus. » Quæ inscriptio ut intelligatur, observandum est Maximianum Galerium solum ab initio anni 311 ad mensem Septembrem consulatum gessisse, hoc autem mense Volusianum Rufinum creatum esse consulem, adjuncto ei collega Eusebio, cujus nomen aliquando reticentes antiquarii, unius Volusiani duo nomina quasi duorum consulum expresserunt, et *Rufino* pro *Rufio* substituerunt. Hanc explicationem nostram illustrant ac firman: 1° indiculus præfectorum Urbis apud Bucherium, p. 258, in quo ad annum 310 legimus: « v kalendas Novembris Rufius Volusianus P. U. » Hoc est præfectus Urbis: tum proxime sequitur ad annum 311, « Consules, quos jusserint DD. NN. Augusti. Ex mense Septembri factum est Rufino et Eusebio; » 2° Fastorum consularium fragmentum apud eundem Bucherium, pag. 250, in quo annus 311 sic designatur: « Maximiano VIII solo; » item fasti integriores Bucheriani, pag. 42, qui ad eundem annum præ se ferunt, « Imp. Galerius Maximianus VIII, Imp. Licinius aug. » al. « Rufinus et Eusebius; » ac demum quod in fastis Idacianis memoratur, « Maximiano VIII consule. » His cons. quod est Rufino et Volusiano, diem functus Maximianus junior. » Quocirca Miltiades, seu Melchides, anno 311, Julii II die, qui secundam in feriam cadebat, ordinatus, anno 314, Januarii die II, sepultus dicendus est. Ipsius autem mors decimo ejusdem mensis die in Bucheriano depositionis Romanorum pontificum indiculo ita consignatur: « IV Idus Januarii Miltiadis in Callisti. » Eodem quoque die notatur in Martyrologio Hieronymiano, quamvis in eodem Martyrologio rursus ad diem II Julii: « Deposito Miltiadis papæ » legatur. Sed hic Papebrocius diem ordinationem ejus, Pagius vero reliquiarum ejusdem translationem, cujusmodi solemnitate ipso natalis seu ordinationis Romanorum pontificum die sæpius celebratam asserit, recoli opinantur. Neque igitur ad Melchidis obitum, sed ad aliquam aliam solemnitatem referendum est, quod in Ecclesia romana die x mensis Decembris memoria ejus colitur.

2. Hinc Bucherianum catalogum, in quo « Miltia-

des annis III, mensibus VI, diebus IX, » sedisse dicitur, ex subjectis in eodem catalogo consulibus corrigendum, et annis II, pro annis III restituendum esse liquet; simul et in notis numericis describendis quam facilis sit librariorum lapsus animadvertitur. Neque minus evidens est Eusebium, Hieronymum atque Prosperum in Chronicis, ubi tres pontificatus annos Melchidi attribuunt, de duobus completis et uno inchoato loqui. Inde præterea conficitur, ab Eusebii morte ad ordinationem Melchidis non tantum « septem dies, » ut vulgatus Anastasius seu pontificalis liber habet, sed novem menses et aliquot dies Romanum episcopatum vacasse. Denique quod in vulgato pontificali libro de Melchiade legitur, ex Bucheriano catalogo aut similibus quam corrupte expressum sit, ex sola collatione manifestum fiet. Ita porro in illo libro exprimitur: « Melchides natione Afer sedit annos III, menses VII, dies VIII, ex die Nonarum Julii consulatu Maximini IX, usque ad Maxentium secundo, qui fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino consulibus. »

§ II. — De litteris Maxentii imperatoris ac præfecti prætorio Melchidi datis, quibus illi ecclesiis quæ fuerant ablata, restitui jubebant.

1. In collatione Carthaginensi, ut Augustinus tum in Breviculo collationis, III diei, c. 18, n. 31, tum in libro ad Monastias, post collationem, cap. 13, memorat, recitata sunt gesta, « in quibus legebatur MELCHIADES misisse diaconos (Stratonem et Cassianum) cum litteris Maxentii imperatoris et litteris præfecti prætorio ad præfectum Urbis, ut ea reciperent, quæ tempore persecutionis ablata memoratus imperator christianis jusserat reddi. » Ea autem quæ Maxentius jussit reddi, mox Augustinus vocat loca ecclesiastica, hoc est cum ea in quibus ecclesiæ erant constructæ, et in quibus convenire solebant christiani, tum etiam ea quæ ad ipsas ecclesias pertinebant, uti disertis verbis Constantini et Licinii constitutio, apud Eusebium, lib. X *Hist.*, c. 5, præcipit in hunc modum: « In gratiam Christianorum decernimus, ut loca ipsorum in quibus antehac convenire consueverant, de quibus in litteris prius ad devotionem tuam datis alia erat forma superiori tempore constituta, si qui aut a fisco nostro, aut alio quopiam ea emisse visi fuerint, ipsis christianis, absque ulla pecunia et sine repetitione ulla superadjeci pretii, incunctanter ac sine ulla